

Dl. 12.

6

Idea Viri Boni

EXEMPLIS

Ex Græca Latinaque Historia
præstantissimis

In Episcopali Cizenium Schola

Die IX. Augusti ab Hora II X. matutina
Oratorie delineabitur.

Vt Patroni & Musarchæ, ceterique
Eruditi nostræ ciuitatis benigne
audiant, rogat & inuitat

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
Rector.

CIZÆ,

Typis Joh. Ruperti Reil/

Anno 1677.

f.

Eorum, qui moribus & vitæ emendandæ
scripserunt, videmus tria genera esse.

Sunt enim perquam multi, qui operam o-
mnem consumunt in virtutis & honestatis ra-
tione accuratius definienda, & in subtiliores
quæstiones, quam in actiones vtiles animum
semper habent propensiore. Alii vanum hoc
omne studium existimant, quo nihil vitæ atq;
moribus discatur, sed doctrina tantum & eru-
ditio accumuletur. Contra melius non putant
consuli posse mortalium vitæ, quam si præce-
pta & regulæ proponantur, ex quibus vnicuiq;
constare possint, quæ agenda sint præclare
tanquam virtuti consentanea, & quæ ad æter-
nam maculā evitandam sint fugienda. Quan-
to vero hi plus conferunt cum ad publicam
rem, tum ad suam ipsorum salutem, quam qui
soli doctrinæ incremento intenti erant, ei-
demq; tantum non affixi: tanto maiorem vti-
litatem præ se tertium genus fert, eorum ni-
mirum, qui non tam scientia & doctis Demon-
strationib⁹, nec præceptis etiam aut admoni-
tionibus, quam exemplis clarissimorum viro-
rum, in moribus formandis & corrigendis ef-
fici posse, sibi vnicē persuadent. Ex horum
censu præcipuus nobis Annæus Seneca vide-
tur

tur in aureis ad Lucilium epistolis, cui omni studio & industria inculcat, ad virtutem comparandam longum iter per præcepta esse, breue & efficax per exempla. Etenim, ut Panegyrista Plinius præclare sensit, melius homines exemplis docentur, quam præceptis, quia id illa in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse. Vnde Plato & Aristoteles, eodem Seneca Epist. VI. censente, & omnis in diuersum itura sapientium turba plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxisse honi videntur. Metrodorum & Harmanchum addit, quos non tam Schola Epicuri, quam contubernium eiusdem magnos viros fecerit. Nec Zenonem Cleanthes, inquit, tā præclare expressisse potuisset, si tantum audiuerisset, quod viua vox, conuictus & familiaritas plus profint, quam oratio, aut muta omnis generis doctrinæ, libris comprehensa, monumenta. Nec viuis exemplis acquiescit, sapientissimus Seneca, sed ab inferis memoria quasi reuocandos cenlet præclaros viros, qui vitæ atq; morum possint rectores esse, nempe Catonem aliquem, vel Lælium, vel Scipionem, quorum præsentiam animo subiectam reuereamur, ne solitudo peccandi licentiam nobis indulgeat. Elige, inquit XI. Epistola, Catonem: si hic videtur nimis rigidus,



dus, elige remissioris animi virum Lælum: elige
eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipsi-
us animum ante te ferens & vultus, illum semper
tibi ostende vel custodem, vel exemplum. O fe-
licem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad me-
moriā quoque eius se componat atque ordinet! Ea-
dem fere repetit, addito Scipionis exemplo,
Epistola XXV. Quod si tanta exemplorum
efficacia, faciemus omnino, quod officii est,
si nostræ fidei commissis adolescentibus opti-
mum quemq; ex antiquis Historiis virum commen-
demus, quem ante oculos semper habe-
ant, vt sic tanquam illo spectante vivant,
& omnia tanquam illo audiente faciant. Ha-
bet enim id commodi hæc docendi informan-
dique ratio, vt non tantum animo propo-
nat, quod faciendum fugiendumque; sed
exemplis quoque quam maxime inuitet at-
que instiget ad præclare & cum virtute agen-
dum. Virtus enim magnorum virorum si
vel auditur prædicata, vel legitur librorum
monumentis consignata, non facile tam
torpens audientis vel legentis animus est,
quin stimulus sentiat, & ad imitandum ac
æmulandum se quodammodo componat.
Hoc cordi nobis fuit, cum Nostris Orato-
ria

ria pensa distribuenda erant , nempe eam
materiam putabamus cum ætati illorum ,
tum ingenio atque studiis conuenientissi-
mam , quæ non tantum stilum exerceat
comtioremque reddat, dum ad optimos
Historiarum scriptores pro exemplorum in-
vestigatione amandat; sed in primis vitam
quoque & mores corrigat, & adoptimam vir-
tutis ideam, tanquam ad normam perfectissi-
mam, conformet. Iussimus ergo , vt vexatam
de virtutibus paganorum questionem exemplis il-
lustrent, & , quantum ingenio atq; studiis pos-
sint, edoceant publice, *multos etiam ex illis, qui*
ab Ecclesia Dei alieni fuere, fecisse olim natu-
ra duce, quæ Christianis etiam hominibus
& ad intuendum & ad imitandum propo-
ni possint, vt si virtutis vim animo nullam
sentiant , saltem pudore afficiantur , cum
intelligent, se a paganis etiam, quos Gen-
tiles vocamus, virtutis studio & honestatis
amore superari. Meliora autem de no-
stris Oratoribus speramus, imo confidimus,
qui ita erecto omnes sunt & animo & ingenio,
vt nihil prius & antiquius habeant, quam
virtutem sectari , & aliorum præclare
facta

facta summo studio atq; industria imitari. Horum antesignanus est, domesticis exemplis excitatus,

Jo. ERNESTVS ZAPFIVS, Vinariensis, qui quæstionem de paganorum virtutibus ex prisco-
rum seculorum historiis atque exemplis defi-
niendam commilitonibus proponet. Non
minori alacritate, quam prolata fuit, excipi-
et quæstionem ,

Jo. JACOBVS ScVLTETVS, Cœnobio- Zinnâ-
Marchicus , & ex *Ageſilai, Spartanorum ducis clarissimi*, virtu-
tibus quam optime expediri illam posse, pro
virili parte probabit. Quod vero

Jo. NICOLAVS Förſter / Schleusingensis ,
paternis consiliis atq; monitis ita a puero ad
Romanos scriptores manu quasi ductus est ,
vt iis innutritus esse videatur ; ferre ille non
potuit , vt solis Græcis virtutum optimarum
gloria cedat, sed in *Latinis historiis* exemplum
ſe inuenisse putat, quod cum Græcorum præ-
stantissimis de iustitia , animi magnitudine
ceterisque virtutibus omnibus possit conten-
dere. Nempe *M. Porciū Catonem Uticensem*,
illum *virtuti ſimillimum virum*, vt Velleius Pa-
terculus lib. II. cap. XXXV, appellat , tan-
quam

quam egregium virtutis exemplar, laudandum sibi proposuit. Approbavit consilium & conatum successor

BARTHOLOMÆVS Leupold / Weida Variscus, & ex Romana historia eruere perget, qui ceteris virtute præcelluerunt. Quod vero videt, militarem gloriam Romanorum esse præcipuum, Dictatorem & imperatorem cum nomine, tum virtute Maximum, Q. Fabium Cunctatorem prædicare, & ceteris præferre secum constituit. Probabit singula

Jo. ABRAHAMVS Pfeiffer/Niedergræfenhaynensis Misnicus, in hoc solo ab antecessorum sententia descendens, quod illos solum viros laudauerint, qui vel bello vel republica benegesta clari fuerunt, quorum neutrum vmbratili scholarum conditioni sit conuenientissimum, vt pote in quibus ii adolescentes ad virtutem exemplo optimi cuiusque inflammandi sint, quorum nemo forsitan Martis stipendia facturus sit, pauci in luce reipublicæ ita versaturi, vt Catones & Agesilaos exprimendi locum & materiam habent. Proinde commodius scholastico rum vitae exemplum, T. Pomponium Atticum, Ciceroni æqualem atq; æmulum, ita com-

men-



mendabit, vt & industriæ, & doctrinæ & bonitatis exemplum cum omnes homines, tum maxime adolescentes, optimis artibus dedicati, non solum intueri sed etiam æmulari debent. His peractis, qui ad certamen condiscipulos hortatus fuerat, finem quoque Panegyricis declamationibus imponet, & cunctis ad æmulationem virtutum inflammatis dignas Auditoribus gratias aget. Quod vero nostrarum partium est, nostros Musarumque Patronos, & vniuersum literatorum ordinem, & quotquot nostris studiis atque rei Scholasticæ fauent, qua par est observantia & humanitate rogamus, vt honorifica præsentia efficiant, quo amori erga bonas artes honestissimo, quem præ se sponte ferunt Oratores nostri, tantus auctoritate & applausu cumulus accedat, quantus requiritur, vt expectationem, quam de se dudum concitarunt omnibus bonis, non solum sustinere & tueri, sed aliquando etiam vincere atque superare possint. P.P. Cizæ VI. Eidus Sextiles M DC LXXVII.

Nr 3165.
S 8°


107

108



Farbkarte #13

B.I.G.



Gaudiorum ius, mino
Viri Boni
MPLIS
Latinaque Historia
stantissimis
Cizenium Schola
ti ab Hora II X. matutina
rie delineabitur.
Musarchæ, ceterique
cæ ciuitatis benigne
t, rogit & inuitat
PHORVS CELLARIVS,
Rector.

I Z Æ,
oh. Ruperti Reil/
Anno 1677.

6

f.